

Lat 108.

7 Schmidt, Nestor

nebst 21-15

PRÆCO PACIS

Sive

RESTITUTÆ

GERMANÆ PACIS

MIRACULUM,

SIVE

Dissertatio Theologica, de insigni Dei omnipo-
tentis, quod sacro sancto Romano Imperio, haud ita pri-
dem concessit, restitutæ pacis beneficio, quomodo illud
ipsum merito pro immenso, & stupendo Miraculo haben-
dum, quod fere præter spem, præterque omnem expe-
ctationem contigit, & propterea, merito dignis
laudibus de prædicandum est,

In illius rei glorificationem & conservandam memoriam,
gratamque posteritatis recordationem, & quorumcumq; Chri-
stianorum, qui super hac regaudio affecti sunt, congratu-
lationem, prælo commissum,

per,

M. CHRISTIANVM CHRISTIANI Stetinensem
Pomeranum, ad annos 38. Ecclesiæ Dei quæ Stendaliæ, in proce-
rum Veteris Marchiæ Metropoli, in æde Divi Petri colligitur
Pastorem, & Ministerij, quod ibidem est,
Seniorem.

MAGDEBURGI, Typis Mullerianis.



*Magnifico,
Prænobilissimo, Eruditione, virtute, atq; omnimoda
rerum Experientia Eminentissimo*

VIRO,

DN. THOMÆ A KNESEBECK
Serenissimi atq; Potentissimi Electoris Branden-
burgici à Secretis consiliis consiliario intimo, &
quondam Veteris Marchiæ Capiteo meritissi-
mo jam emerito,
Hæreditario in Thylsen, &c.

*NEC NON
Reverendo, Prænobilissimo & strenuo omni Eruditionis & Virtutis
laude celebratissimo Viro,*

DN. BALTHASARO à DEQVED
Ejusdem Illustrissimi & Celsissimi Electoris Bran-
denburgensis consiliario Præstantissimo, Excellentissi-
moque & Canonico Havelbergensi
spectatissimo
Hæreditario in Deetz &c.

Dominis Patronis, Mœcenatibus & Promotoribus suis
omni animi observantia colendis, præsens hoc scriptum,
in prosperitatis appreciationem & suæ observantiæ
contestationem dedicat

Autor.

Præfatio Dedicationis.



Magnifice, Prænobilissime, Domine Capitaneæ, à Knessebeck, nec non Præ- Reverende & Nobilissime Dn. Consili- aric & Canonice à Dequed Domini, Pa- troni, Mecœnates & Promotores, omni- animi observantia enixim colendi, Ju- dicum 6. capite. v. 24. legimus, quod posteaquam Gi- deoni Heroi ab angelo denunciatum fuit, quod popu- lum Israeliticum de manu hostium redimere & eximere deberet, ille illi ipsi gratitudinis ergo altare erexit, quod ALTARE sive DOMINUM PACIS, hoc est monumentum pacis, sive divinæ gratiæ signum vo- cavit, quo illius rei gestæ recordari posset.

Et illo ipso facto nos de nostro officio commone- facit, quid nimirum nobis hoc tempore faciendum sit, ubi Deus Sacrosancto Romano Imperio iterum benignam Pacem restituit, ut debitam illi gratitudinem exhibeamus, videlicet, quod parem in modum illi ARAM PACIS, debeamus extruere, quemadmodum Gideon suo tempore fecit, quæ hujus rei memoriale atque perpetuum atque immortale monumentum sit, quo illius crebram memoriam possimus recolere.

Eamq; non tam lapideam ex aggere, & congerie lapidum extructam, uti suo fecit tempore Gideon. Sed aram devotæ gratiarum actionis, quâ dignæ Deo pro hoc beneficio gratiæ persolvantur. Aram ardentis deprecationis quâ thymiamæ & thus devotæ orationis Deo adolemus & sacrificia labo- rum offerimus, Osee 14. v. 3. Aram penitentia & vitæ innovationis, quæ vitam nostram

Præfatio De- dicationis ab ara Pacis, quâ Gideon extru- xit de qua Ju- dic. 6. v. 24. constat.

I. Historica il- lius rei recita- tione.

II. Illius ad præ- sens meum propositum applicatione, quod nimirum consimi- lem aram Deo extruere de- beamus, præ- senti pacis tempore, vi- delicet.

1. Nō lapideam aut saxeam.

2. sed aram gra- tiarum actio- nis.

3. Aram depre- cationis.

4. Aram peni- tentiæ.

nostram emendemus, & ad meliorem frugem recipiamus.

I.
Aram recordationis.

Aram gratæ recordationis, ut illius rei crebram memoriam instituamus & nobis sæpe illius memoriam in animum revocemus.

III.
Hujus assertionis confirmatione, quæ desumitur.

Illud ipsum enim fieri fas & justum est, ut illius rei memoria longè conservetur.

I.
E statuis honorum, quæ quondam viris benemeritis erectæ sunt, de quibus,

Si enim statuas honorum atque bonæ memoriæ viris præclaris positas esse legimus à posteris, de quibus bene meriti fuerunt antecessores, pro Deum immortalen! quænam statuæ honorum & bonæ memoriæ non ponendæ sunt, paci, quæ nostris temporibus reparata est, cujus filij filiorum à generatione in generationem frui queunt, imo si gregariis saltem hominibus Epitaphia poni consueverunt, ut illorum memoria immortalis esset,

Ravil, in officin. p. 668.

quid non faciendum in gratiam repararæ pacis, ut illius

2.
Ex Epitaphiis emortualibus, qualia fuere.

longa conservetur recordatio, debitæ gratitudinis ergo, Ita enim non modo de Absolone legimus quod sibi talem bonæ memoriæ statuam in valle Absolon constitui curarit, ut prole destitutus in imagine viveret apud posteros, sed & legimus quod Jacob defunctæ uxori Rahel talem emortua lem statuam posuerit, ubi in via Bethlehemi in puerperio occubuit.

1. Statua Absolonis de qua.

2. Sam. 18. v. 18

2. Statua Rahelis de qua.

Gen. 35. v. 10.

3.
E statuis pacis quæ in iudicium illius positæ fuere.

In specie vero legimus, quod & pia antiquitas talia monumenta pacis publica curarit erigi, posteaquam illa ipsa uno vel altero modo reducta atq; restituta fuit.

1. Ab Israelitis uti videre licet.

Illud ipsum enim factum est ab Israelitis in terram Cananæ introductus, quod ubi præmolestis priorum itinerum soluti fuerint, in distributione regionis, quæ inter illos, & inter reliquos sui populi tribus facta fuerat, in signum unitatis religionis, & fraternæ concordie aram erexerit, quæ testis esset, quod unius gentis consortes

Josua 22. 10.

essent,

essent, & ad unum & eundem populum Israeliticum veræ fidei confessores pertinerent.

Præsertim vero illud ipsum factum est, 1. Maccab. 8. v. 22. Judæis, qui tempore Judææ Maccabæi vixerunt, quod postquam pactum pacis cum Romanis inierint, Illud ipsum conservandæ perpetuæ memoriæ ergò tabulis æneis consignari & insculpi fecerint.

Et consimiliter legimus. 1. Maccab. 14. 18. quod postquam Romani obitum Jonathæ resciverint, quod in prælio occubisset, cum illius fratre Simone summo sacerdote & duce populi Israelitici fœdus pacis, quod antea cum Judæis pepigerant, renovarint, orichalcinis tabulis inscribi curarint, & columnis templi annexerint, ut in monte Sion suspensum à quibusvis prætereuntibus legi potuerit.

Et quod magis est, legimus illud ipsum factum esse à Romanis ut Paci Divæ cuidam, quam pro Dea habuerunt, & impetrandæ pacis gratia pro Dea coluerunt templa extruxerint, in quibus huic Divæ sacra fecerunt, & sacrificia obtulerunt, præsertim pacis tempore patentia ut quibusvis ingredientibus monumentum pacis essent, & quod ea occasione Deo pro concessa pace gratias egerint, ubi illa aliàs belli tempore occlusa fuerant, quemadmodum testibus historiis illud ipsum tempore Nativitatis Christi factum, ut istud templum pacis, non modo aliquot annos clausum fuerit, sed totum conciderit & collapsum sit, uti ab oraculo quodam prædictum fuit, quod id ita fieri & illud templum collabi deberet quando virgo pareret, propterea, quod ipse Princeps Pacis Christus nasci deberet, cui aliud pacis templum æternum in cælo extructum esset, in quo electi tandem convenirent, & Deum æternum pacis autorem & Principem venerarent.

2. A Juda Maccabæo uti legitur. 1. Maccab. 8. 22

3. A Romanis uti legitur.

1. Mac. 14. v. 18.

4. Ab iisdem in ædificatis templis pacis de quibus in historiis apud Livium & Petrum Comestorem.



nerarentur, & colerent, & quod id ipsum multo firmitus
pacis templum futurum sit, quam illius alterum fuit,
quod Romæ extructum fuit, quod nullam ruinam me-
tuere debeat, sed in perpetuum manere, uti sibi sinistro
intellectu hujus oraculi Romani imaginati fuerunt,
quod cum isto templo suo futurum esset.

IIII.

Illius officij
commendati-
one quod me-
rito ista de-
votio nostro
tempore imi-
tanda sit.

Ut si illa ipsa ita constituta fuerint, quod tales be-
nignæ pacis memoriæ apud Judæos & Ethnicos institu-
tæ fuerint, multo magis nos Christianos deceat, ut illud
ipsum præsentis tempore in imitationem trahamus, ubi
Deus nobis collapsam pacem restituit, ut illius rei publi-
ca monumenta ponamus, debitæ gratitudinis ergò, & ut
non modo Deo omnipotenti pro immenso isto benefi-
cio debitam gratitudinem persolvamus, sed ut & ista ra-
tione hujus rei memoriam ad posteritatem propagemus
& perpetuo conservemus quo minus ullo tempore inte-
reat & intercidat, sed ut successores quoque nostri ea de
re commonefacti, Deo omnipotenti unâ nobiscum pro
isto beneficio devotas redderent gratias, quod in eo-
rum æquè atq; in nostrum emolumentum pacem redin-
tegrari fecerit, cujus unâ nobiscum in futurorum tem-
porum meliori sorte, quam illorum in qua Antecessores
& patres constituti fuere possint perfrui.

1.

Non tam cre-
tis tabulis æ-
neis aut ori-
chalcinis,

Idque non tam æneis aut æreis tabulis, vel lapideis

& saxeis columnis, in quibus res hæc apud Judæos & Eth-
nicos insculpta fuit quam in nostrorum cordium in-

2.

Sed facti hu-
jus propaga-
tione quæ fit
typis plum-
beis.

fixa penetralibus, ut illius semper possimus esse memo-
res, non literis atramentariis, sed plumbeis consignata,

quod non melius nisi typographica divulgatione potest
fieri, uti testatur Job optans, ut sermo suus, quem de Go-

Job. 19. v. 23, 24

ele & cognato suo, à quo in novissimo die, proprio cor-
pore

101
pore resuscitandus esset, plumbeis literis exscriberetur,
& istis verbis egregiam artis typographicæ Ideam, & il-
lius primum fundamentum proponit, quæ plumbeis li-
teris perficitur.

Qua propter, ut illud ipsum possit fieri, & ut ista ra-
tione memoria hujus rei diu conservari possit, si illi ipsi
tale monumentum aliquod publicum, prælo publico
poneretur, Non modo alia scripta quædam Germanica
aliquandiu concepi, quæ ad hujus beneficii deprædica-
tionem faciunt, quæ alibi delineata sunt, ut ex illis, quæ
nam illorum summa sit, constet, sed etiam in illorum nu-
mero præsens hoc exarare volui, quod restitutæ Pacis
Miraculum vocatur, partim ut privatæ meæ gratitudinis
monumentum esset, quo Deo omnipotenti, pro præsti-
to beneficio gratias agerem, partim ut esset monumen-
tum gratitudinis publicæ, quo alij ad consimilem grati-
arum actionem incitarentur, quemadmodum fecit Noa,
talem gratitudinis aram Deo omnipotenti extruens, po-
steaquam aquæ diluvij absorptæ fuere, & Gideon altare
tale pacis erigens, ubi Dux & Judex populi Israelitici
constitutus fuit, & Judæi tempore Maccabæorum ubi
pacta pacis inter se & Romanos inita tabulis Orichalci-
nis in perpetuam rei memoriam suspendebant, uti paulo
ante dictum est.

Et hoc ipsum scriptum, Vestris Magnificentis præ-
reverendæ Dignitati, & Præ Nobilissimis vestris PræE-
minentis dedicare & inscribere volui, partim, ut esset
monumentum meæ erga vos observantiæ, partim lau-
dabilis vestrorum meritorum, apud posteritatem con-
servandæ memoriæ, partim ut esset monitorium de ne-
gocio

V.
Præsentis mei
propositi ex-
plicatione
quod istam
ob causam
præsentem
scriptionem
suscipere vo-
luerim,

Gen, 8. v. 20.

Jud, 6. v. 9. &
10.

1. Maccab, 8,
v. 22.

VI.
Præsentis scri-
pti dedicatio-
ne,

gocio quodam promovendo, quod à vobis aliquando
literis supplicibus uti verbis petatum fuit.

Illud ipsum enim faciendo etiam atq; etiam roga-
tum volo, ut quicquid est, quod hujus generis scripti of-
fertur, benigno animo accipere & mihi meisq; ulteriore
affectione addicti esse manere velitis, meam & illorum
salutem promovendo.

Pro quo vicissim sum, ad subeunda vestra servitia
quovis tempore paratissimus. Mediente commenda-
tione Divinae protectionis & felicitis novi Anni apprecia-
tione manendo.

Stendaliae 1. Januarij

Anno 1651.

Vestra Magnificentia ut &

*Vestra Prae Reverenda, & Prae Nobilif-
sima Eminentia*

Studiofissime deditus.

M. Christianus Christian.

Recu-



RECUPERATÆ PACIS,
MIRACULUM,

SIVE

Dissertatio Theologica, de insigni Dei omnipotentis, quod In benignæ pacis redintegratione nostris temporibus concessit, beneficio, quomodo illud ipsum merito pro stupendo miraculo habendum & dignis laudibus deprædicandum sit.

Prima hujus Scripti Pars,

*De rebus quibusdam quæ pro factu planè
impossibilibus habentur.*



Christiane, quisquis es Lector, cui hæ, quas vides, pagellæ perlustrandæ perhibentur, Multa sunt, quæ à Poetis, & alijs Scriptoribus pro factu planè impossibilibus habentur, de quibus antiquitus præsumtum fuit, quod veluti naturæ contraria plane evenire nequeant, Adò ut proverbiali locutioni locum dederint, & antequam eorum unum vel alterum existere credi possit, hyperbolicè dictum sit quod versimile sit, quod prius hoc vel illud possit

B

fit

fit fieri, verbi gratia, quod dulcia amara, & nigra possint
alba fieri, uti testatur Virgilius Ecclog. 8. quando dicit.

*Dulcia amara prius fient & mollia dura,
Candida nigra oculi cernent & dextera laeve,
Migrabunt casus aliena in tempora rerum.*

Quod prius possit fieri ut cervi in aere, & pisces in agris ca-
pianur, quemadmodum consimiliter testatur Virgilius,
ita ea de re scribens.

*Ante leves ergo piscentur in aere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces,
Ante pererratis amborum finibus exul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania
Tigrim.*

Quod prius lupi & oves, vituli & Leones inter se conveni-
re, & amicitiam possint colere, teste eodem, quando ea
de re ita scribit.

*Ante lupos rapiunt, hedi vituli ante leones
Delphines fugient pisces, aquila ante columbas,
Et conversa retrò rerum discordia gliscet,
Quod prius Gryphes & equi, canes & Damæ queant jun-
gi, teste eodem, quando ita inquit.*

*Iungentur iam Gryphes equis & voq, sequenti
Cum canibus timidi venienti ad pocula dama,
Et quæ istiusmodi plura sunt, de quibus apud eundem le-
gitur, quando de illis ita differit.*

Palli-

*Pallida flavescent estu sitientia prata
Immatura cadent ramis pendentia mala,
Desinet & sylvis frondes & fontibus humor,
Item, Flectite currēt es nymphas vaga flumina retro
Flectite & adversis cursum diffundite campis,
Incurrent amnes passim remeantibus undis,
Et in eundem sensum scribit Ovidius lib. 13. Metamor.*

*Ante retro Simois fluet, & sine fontibus Ida,
Stabit & auxilium promittet Achaia Troia,
Item idem, lib 14. Metamorph.*

*—— Prius inquit in aethere frondes,
Glaucus & in summis nascentur fontibus alga,
Item idem lib. 25. Metamorph.*

*Desinet alba dies & in alto Phabus anhelos
Aequore tanget equos,
Et lib. 1. de Ponto.*

*Nam prius incipient, turres vitare columba,
Antra fere, pecudes gramina, mergus aquas,
Et lib. 2. de Ponto inquit ovidius.*

*Longa dies citius hyemali tempore, noxq;
Tardior hyberna solstitialis erit.
Nec Babylon aestum nec frigora Pontus habebit
Calthaq; praestantes vincet odore rosas,
Quam tibi nostrarum veniant oblivio rerum,*

B 2

Item

Item idem alibi.

Nam caput è nostra citius cervice recedet,

Et patiar fessis lumen abire genis,

Et idem alibi,

Cyniphis segetis citius numeratis aristas,

Altaq; quam multis floreat Hybla thymis,

Et quot aves motis nituntur in aere pennis

Quotq; natent pisces æquore certus erit,

Et lib. 4. de Ponto inquit Ovidius,

Nam prius umbrosa carituros arbore montes

Et freta veli volas non habitura rates,

Fluminaq; in fontes cursu reditura supino,

Gratia quam meriti possit abire tui,

Idem Ibidem,

Sed prius huic desint, & bellum & frigora terris,

Invisus nobis, qua duo pontus habet,

Et tepidus Boreas, nec sit præfrigidus Ister,

Ad fontem Xanthi versa recurret aqua,

Idem lib. 1. de arte amandi,

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,

Junctaq; cum luna, lumina solis erunt,

Parsq; eadem Cali Zephyros emittet & Euros,

Et tepidus gelido stabit in axe notus,

Et nova fraterno veniet, discordia fumo,

Quàm vetus accensa separet ira pyra,

Et ver, autumno, bruma miscbitur aetas,

Atq; eadem regio vesper & ortus erit,

Item alibi idem.

Vere prius taceant, volucres, astate cicada,

Menelaus lepori det sua terga canis,

Idem lib. 3. tristium.

Spiritus hic vacuus prius extenuandus in auras

Ibit & in tepido deseret ossa rogo,

Idem lib. 5. tristium.

Canas prius gelido desint absynthia Ponto,

Et careat dulci Tinacris hyblathymo,

Immemorem quã te quisquam convincat amici,

Propertius lib. 1. Carm.

Nulla prius vasti labentur flumina ponti,

Annus & in veras duxerit ante vices,

Idem lib. 2.

Terra prius falso partu deludet arantes,

Et citius nigros sol agit abit equos,

Fluminaq; ad caput incipient revocare liquores,

Aridus & sicco gurgite piscis erit,

Idem lib. 3.

Flamma per in veras citius sedetur aristas,

Fluminaq; ad fontis sunt reditura caput,

Et placidum syrtis portum & bona littora nautis

Prebeat Hospitium se va Malea suo,

Et alibi.

*Tu prius & fluctus poteris siccare marinos
Altaq; mortali diligere astra sono,*

Lucanus lib. I.

————— omnia mixtis,

*Sidera sideribus concurrent, ignea pontum,
Astra petent, tellus extendere littora tentet,
Excutietq; fretum fratri contraria Phæbo,
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem,
Indignata diem poscet sibi totaq; discors,
Machina divulgata turbabit sidera mundi,*

Horatius lib. I. Carminum.

Sed prius Apulis,

Iungentur Capreæ lupis,

Idem in Epido.

Priusq; cælum sidet in inferius mare

Tellure porrecta super,

Idem ————— *Simul imis saxa renarint,*

Vadis regnatis,

Iuvenalis Satyr. 10.

Promptius expediã quot amaveris Hippia Mæchos

Quot Themison agros autumnò occiderit uno,

Quot Besylus socios quot circumspexerit Hylus

Pupillos, quot longa viros exorbeat uno

Mau-

*Maura die, quot discipulos inclinet Amillus,
Percurram citius quot & urbes possideat nunc,
Quot tendente gravis iuveni mihi barba sonabit.*

Perseus Satyr. 5.

*Sambucam citius Catoni apta veris alto,
Status lib. 13. Sylv.*

*Hybernos citius numeraveris imbro,
Sylvarumq; comas,*

Et idem lib. 15.

*————— Potius fugientia ripas,
Flumina de vinces rupidis aut ignibus obstes
Quam miseros lugere vetes*

Et lib. 16. Thebaid.

*Ante hæc excussa frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro vesterq; Acheolus abibunt.*

Idem lib. 8.

*————— Citius me flumina contra
Infandum tuere & magno bellare parenti,
Aspiciat,*

Idem lib. 3. Achil.

*Sed pater arte igni ferroq; excisa iacebit
Scyrus & in tumidas ibunt hæc versa procellos
Mania*

Seneca in Hercule furente,

*Prius extinguet ortus, referet occasus diem,
Pax ante nivibus & flammis erit,*

Et Syll. Syculum junget Ausonia latus,
Priusq; & multo vicibus alternis fugax,
Euripus unda stabit Euboica piger,
Idem in Thyeste.

————— athereas prius,
Perfundet arctos pontus & siculi rapax,
Consistet astus unda, & Ionio seges.
Matur a pelago surget, & lucem dabit,
Nox atra, terris ante cum flammis aqua,
Cum morte vita, cum mari ventus fidem,
Fœdusq; iunget,

Idem in Thebaide

————— Ipsa se in leges novas,
Natura vertet, reget in fontem citas
Revolutas undas amnis & noctem afferet
Phebea lampas, hesperus faciet diem,

Idem in Oeta,

Iungentur ante sæva sideribus freta,
Et ignis unda, tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris roscida nocti dies.

Idem in Hypolito,

————— Ignibus iunges aquas,
Et amica ratibus ante promittet unda,
Incerta syrtis ante ab extremo sinu,

Hespe-

*Hesperia Thetis lucidum attollet diem,
Et ora damis blanda praebebunt lupi,
Idem in Hercule Oebæo,*

————— *Ante occasum diei,
Nascetur Indis, ante, glaciale polum
Scythasve tepida Phabus afficiet rota,
Idem, Ante nascetur seges in profundo,
Vel fretum dulci resonabit unda,
Ante descendet glacialis urse,
Sidus, Et ponto vetito fruetur.*

*Idem Ibidem,
Descendet astris luna desertis licet,
Et bruma messes videat, Et cantu fugax,
Sit deprehensum fulmen Et versa vice,
Medius coactis fugerit stellis dies,*

*Idem ibidem.
Mutetur urbis vallibus currat novis Ister
Novasq; Thanais accipiat vias,*

*Claudianus, in victor. Sturion. in Alaricum.
Irriget Aegyptum Tanais Maotida Nilus
Eurus ab occasu Zephyrus se promat ab Inis
Caucasisq; Iugis calidoq; nigrantibus austro
Getulas Aquilo glacie constringat arnas,*

Idem in consulatu probi.

C

Ante

*Ante dabunt hyemes Nilum per flumina dama
Errabunt glacieq; niger damnabitur Indus
Ante Thyesteis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,*
Pamphilius Saxus Elog. 12.

*Sydera quum radios spargunt tellure sub ima
Aëra quum piscis cum colet a quor avis,
Quum Cervus pavidus Massylla per arva leones
Pellet, hyems tepidi tempore veris erit,*
Strotza Pater lib. 1. Erotic.

*Ergo prius tellas aliment a negaverit orbi
Et novus Hesperio, surget ab axe dies,
Ante Padofagas atq; Atthesi mistabitur Istler,*
Idem lib. 5. Erotic.

*Ergo scylla prius scyllaq; adversa carybdis,
Præbuerint fessis puppibus hospitium
Ante suo Nereus gelidas admiserit arctos,
Æquore terra polus fiet, Et ignis aqua,
Mutata prius accipient nova corpora forma,*
Calaphurnius apud Erasmus in adagiis.

*Astyle credibile est si vincat acanthide cornix
Vocalem superet si turpior Adona bubo,
Et testudo prius leporem præverterit,*
Culentius lib. 2. Eleg.

Ante

Ante per ignotos errabunt sydera fluctus
Pascenturq, leues & quora lata boves,
Antea squamiferis habitari piscibus equor,
Desinet, ante freto, currere curvaratis,
Ante polos similis populus insidiabitur ante,
Proximus in vetitas corruet anguis aquas,

Pontanus lib. i. de stellis.

Sed prius Herculei torrentia sydera monstri
Solstitio vicina domus locaq, edita cali,
Diffundent terris hyemem glacialibus Euris,
Ante & conspicui summo de cardine mundi,
Flava lycæonio surget pallantias axe,
Atq, diem a verso subtervehet Auster Olympo,
Stabunt & cali septem labantia signa,

Baptista pius.

Nam prius incolles rebor vaga flumina ferri
Et mixto eripidi semine Gryphes equo,
Idem, Sythonio prius orbis te pescere credam,
Memnonio & tingi posse colore nives
Excelsaq, vagis undabunt piscibus alpes,
Nullaq, Athlant ei gurgitis unda fluet,
Hesperioq, nitens Phæbus consurget ab axe,
Atq, pari Euphrates Tigris & ore rident,
Idem, Antecaput Nili deprendet & ore sesostris

C 2

De-

Deponet virus $\text{\textcircled{E}}$ Stygis unda suum,
Idem, Promptius expediam, quot fulgeat ignibus
ether,

Et quota in Oceani bellua mole natet,
Astra sagittiferam precedent fulgida mitram,
Solis $\text{\textcircled{E}}$ obscura nocte vehentur equi,
Magnaq; nigrantem lux irradiabit Avernum,
Luror $\text{\textcircled{E}}$ aethereos cinget ubiq; polos
Et superum iurare (licet metus urgeat illos)
Sancta cohors Aegias non dubitabit aquas,
Per sylvas volitare canes volucresq; ferarum
Cernemus, duri lustra habitare soli
Committentq; lupi Dama sua corpora rostro,
Et lepus Arcadico rostra habitat a cani,
Et Phatontai cycnus non immemor axis,
Fulmineas cupiet scandere posse domos,
Desinet aequoreis, caput obiectare procellis,
Aesacus $\text{\textcircled{E}}$ rapidi non petet ima maris,
Turbaq; Memnonidum canet exequialia mitis,
Iusta, neq; hac tumuli tinget herilis humum
Congeret aëria nidum super arbore perdix,
Thysbeas linquet, blanda columba palas,
Diliget immitempia Dedaliona coturnix,
Fida gemellipara quae tulit auxilia,

Cui

Cui volucris subito data verisicoloris imago,
Dum fugit omnivoli dulcia fata Jovis
Labilis audaci congruere relinques,
Et cum squamigeris Barreferes odium
Nilicola m^q feram, cantus crocodilon Ichneumō,
Diliget, infidam rex Halietus avem,

Palladius Soranus.

Desinet ergo prius fragili mihi gutture lingua,
Idem, Mella prius fierent, qua sunt contraria dulci,
Duraq; spectares mollia saxa prius,
Idem, Ergo mella prius fient contraria dulci,
Molli adura prius fient, & maxima parva,
Aut freta poma dabunt semper redolētia flores,
Pascua, rura, domos, viventia cūcta fovebunt,
Et pisces quin terra feret, quam navita prudens
Sulcabit, timidos fluctus qua concita tollet,

Petrarcha.

Tum nostro Galatea, tuum de pectore nomen,
Exibit, fugient propriis dum sedibus astra,
Mellis apes studium linquent, nidosq; columba,
Coniugium turtur, pradam lupus arbula capra,
Custodita dolos mulier mendacia serpens,
Idem ——— Validum prius agra leonem,
Sternet ovis, prius armigerum philomela tonentis
Vicerit,

C 3

Et

Et quæ istiusmodi dictoria plura sunt, quæ talem impossibilitatem hujus vel alterius facti indicant, quæ ex antipathiis & naturæ impotentiis, & contrarietatibus exurgunt, quibus sibi invicem res quædam adversantur, inter se discordant, & naturale odium fovent, ut alterum nequeat ferre alterum sed sibi invicem vel bellum inferant, vel se mutuo tollant, & aboleant, ut existente uno alterum cessare cogatur, qualia sunt dies & nox, lux & tenebræ, amarum & dulce, ignis & aqua, Elephas & mus, Crocodylus & Ichneumon, Sues & equi, Partherus & Simia, Serpentes & Cervi, magnes & adamas, aranea, & bufo, præsertim vero oves & lupi, inter quos talis antipathia est, ut sibi non saltem in vita, sed in morte adversentur, ut chordæ ex illorum intestinis factæ uno instrumento musico applicatæ, inter se consonare nequeant, nec non inter leones & gallos gallinaceos, inter quos tanta est antipathia, ut Leo à voce galli cohorrescat, licet animalium sit fortissimum animosissimumque, à quibus similes impotentia desumi possent, & dici, quod prius inter illas res amicitia constitui queat quam hoc vel illud possit fieri, si quicquam impossibile confirmandum esset, de quibus M. Samuel Mejerus Class. I. lib. 2. cap. 6. pag. 195. Nucleo hist. & Iohan. Ravis in officina pag. 154.

Digres-

Digressio,

Ad secundam huius Scripti partem, in qua antecedentium praxis atq; applicatio instituitur,

Est ergo hæc prima huius scripti pars, de qua hucusque diximus, quod consistat in rerum quorundam, quæ pro factu impossibilibus habentur, commemoratione.

Quam jam excipere debebat, altera, quæ consistit in illius usu, praxi & applicatione, qua docendum ad quid nimirum præcommemorata inservire debeant, videlicet, quod ex illis discendum quod in illorum numero, quæ pro factu impossibilibus haberi queant, quoq; præsentium temporum pax sit, ut merito pro miraculo habenda, propterea quod ferè præter spem, præterq; hominum opinionem atq; expectationem accidit, quæ hac de re antecedentibus temporibus potuisset concipi, ut si quis fuisset, qui illam ipsam paulò ante elapsis annis prædixisset, quod ita, pro ut nunc ante oculos est, extitura sit, illud ipsum credi non potuisset, sed assertor ille à non paucis mendacij argutus & pro falso propheta & impostore fuisset habitus qui hominibus fucum, & palpum facere & illos inescare voluisset, ut eorum gratiam iniret, & auram popularem venaretur.

Quemadmodum è scriptura Sacra demonstratur, quod causæ dubitandi non postremæ occurrant, quæ è Diaboli nequitia, ipsorum hominum malitia, & occultis quibusdam Scripturæ oraculis, quibus ultimo mundo non nihil sinistra fata potius ad bellum quàm ad pacem inclinantia, deter-

determinentur, desumantur, & contrarium jubeant statuere, quod paulo ante novissimum diem potius bella quam pax speranda sit, & quo magis finis mundi appetet, tanto periculosiora tempora ingruitura sint, quæ bellum potius, quàm pacem secum ferent.

Vt rebus ita constitutis præsentibus nostris mundi temporibus pauca bona, sed potius mala quam bona, potius bella, quam pax speranda fuissent, si res, secundum divina præfagia & hominum merita procedere debuisset, quibus sibi peccatis suis potius Dei Iram & gravissimas pænas quam divinam gratiam conciliant.

Quoniam vero illa ipsa, si satis sufficienter elaborari deberent, non nihil prolixiora possent fieri, quam ut hic loci satis citò & commodè expediri queant, ut non modo crena calami sed præsertim prælotypi producantur, & mihi festinandum sit, quo minus hæc res, quæ propter incidentia quædam gravia impedimenta vel jam ante moram non nihil longiorem, quàm ab initio speratam posse fieri, passa est, diutius protrahatur, & nimis tardè quasi post liminio & post festum perveniat, ea quæ hujus generis porro deficiunt, ad futura alia à me promissa reservanda sunt, & præsens tela abrumpenda est, cum petito ut id ipsum benevolus Lector æquo animo accipere, & ea, quæ hic defunt patienter expectare velit, donec suo conveniente tempore commodè queant consequi, pro quo vicissim sum ad illius officia paratus.


M. CHRISTIANUS CHRISTIAN.

HAB Wolfenbüttel 23



12 104 515







B.I.G.

Farbkarte #13

PACIS

UTÆ

Æ PACIS

ULUM,

E
le insigni Dei omnipo-
ano Imperio, haud ita pri-
beneficio, quomodo illud
stupendo Miraculo haben-
, præterque omnem expe-
opterea, merito dignis
dicandum est,

conservandam memoriam,
onem, & quorumcumq; Chri-
udio affecti sunt, congratu-
commisum,

Lf 107

CHRISTIANI Stetinensem
æ Dei quæ Stendaliæ, in proce-
oli, in æde Divi Petri colligitar
rij, quod ibidem est,
rem.

Typis Mullerianis.

12

